

fuisse Matrem eo tempore, quo nascitur, licet Ancilla conceperit, & deinde pariat, placuit eum, qui nascitur, liberum nasci, idque ob favorem Libertatis: nam Libertas res inestimabilis est, l. Libertas. 106. de Reg. Jur. & omnibus rebus favorabilior est, l. Libertas. 122. ff. eod.

4 Resp. II. Quoad Familiam, Nobilitatem, dignitatem & honorem proles legitime nate sequuntur conditionem patris, ita, ut si hic sit Nobilis, tales sint etiam proles, et si Mater sit plebeia: E contra si pater sit ignobilis, tales etiam reputentur proles. Est communis arg. l. Cum legitime. 19. ff. de Statu hom. ibi: Cum legitime nupte facte sunt, patrem liberi sequuntur, iupple quoad honorem & dignitatem, ut Jura Juribus concordentur. Hinc notanter dicitur in l. Partum 7. C. de Rei vendicat. in hac specie, libertatis nempe, & servitutis, statum patris non considerari: ergo a sensu contrario in aliqua specie, dignitatis videlicet & honoris statum patris considerare oportet.

5 Imo in hac specie etiam femine nascuntur conditionem viri, textu expresso l. Famine. 8. ff. de Senat. ibi: Famine nupte clarissimis personis, clarissimarum personarum appellatione continentur, & l. Mulieres. 13. C. de Dignit. ibi: Mulieres honore maritorum erigimus, genere nobilitatis &c. Si autem minoris ordinis virum postea sortita fuerint, prioris dignitate private, posterioris mariti sequuntur conditionem.

6 Ceterum utraque tam n. 2. quam n. 4. posita Conclusio limitatur in loco, ubi alia habetur consuetudo, hac enim in ista materia approbatur, c. Licet. 3. de Conjug. Servo. & merito, quia, quod partus in hac vel illa specie sequatur patrem vel matrem, est meri Juris homani, contra quod utique consuetudo valet, c. fin. de consuetud.

7 Limitatur insuper posterior Conclusio numer. 4. posita in loco, ubi specialia statuta habentur aut leges, vi quarum in prole requiritur Nobilitas ex utroque parente; qualia statuta vigent in multis Ecclesiis Cathedralibus Germanie, vi quorum ad Canonatum assumi nequit, qui Nobilitatem ex utraque Linea Materna nempe, & paternam per certam seriem probare non potest. Quibus tamen statutis ficut & consuetudini Papa procul dubio derogare potest, & actu derogat, quando in collatione Canonatus illam salutarem clausulam inserit: non obstantibus quacunque consuetudine, vel particularibus statutis Ecclesie; nisi consuetudo esset immemorialis, vel statuta juramento essent roborata, aut a Pontifice confirmata: Quamvis & his Papa derogare possit, & actu deroget, si id exprimat, utendo clausula: non obstante quacunque consuetudine etiam immemoriali; vel statutis Ecclesie etiam juramento, vel autoritate Apostolica confirmatis &c. uti videre est apud Barbolam de Clausulis, Clausula 84. & 87. & diximus amplius Lib. I. Tit. II. de Constit. a. n. 493. & Tit. IV. d. n. 188.

TITULUS XI.

De Cognatione Spirituali.

SUMMARIUM

- 1 Ratio continuationis.
- 2 Cognatio Spiritualls quid? Et unde?
- 3 Ex Catechismo non amplius oritur Cognatio Spiritualls.
- 4 Cognatio Spiritualls nec naturali, nec Divino,



5 Sed solo Ecclesiastico Jure introducta est.

6 Cognatio Spiritualls olim triplex fuit, Paternitas nempe, Compaternitas, & Fraternalitas. Et duobus num. seqq.

9 Hodie est restricta.

10 Et tantum datur inter personas a Concilio Tridentino specificatas tam ex Baptismo,

11 Quam ex Confirmatione: & que sint he persone?

12 Doctrina practica, inter quas personas non veretur Cognatio Spiritualls.

13 Ex Baptismo invalidè collato non oritur Cognatio Spiritualls.

14 Bene verò ex Baptismo privatim collato.

15 Nisi parens in necessitate baptizaret.

16 Si unus tantum patrinus, vel unus & una designati, & quali Baptismo assistunt, contrahunt Cognationem Spiritualem.

17 Secus, si Baptismo prius jam collato, solis postea assistunt ceremoniis.

18 Quid, si Baptismo iteratur?

19 Prohibitum est, plures adhibere Patrinos quàm duos, unum nempe, & unam.

20 Si plures, quàm fuerint designati, teneant infantem, soli designati contrahunt Cognationem Spiritualem.

21 Si verò plures quàm duo fuerint designati, omnes eam contrahunt.

22 Patrini etiam in privato Baptismo contrahunt Cognationem Spiritualem.

23 Etiam per procuratorem tenens infantem contrahit Cognationem Spiritualem; & non procurator.

24 Plures requiruntur conditiones ad hoc, ut Patrinus in Baptismo, vel Confirmatione Cognationem Spiritualem contrahat. De I. & II. Remissive.

25 III. Ut sit designatus a parentibus, & habeat intentionem exercendi munus patrini.

26 IV. Ut Baptizandum vel Confirmandum perse, vel per alium physicè teneat: & quomodo?

27 V. Ut Patrinus in Confirmatione sit prius ipse Confirmatus.

28 VI. In Baptismo autem sit ipse baptizatus.

29 Obligatio Patrini que?

30 Parens in Baptismo solemnè absque ulla necessitate levans proprium infantem, nullam contrahit Cognationem Spiritualem.

31 Solvitur infantia. Et num. seqq.

Inter Impedimenta dirimentia præcipuum, & valde frequens est Cognatio; quæ triplex invenitur, Spiritualls nempe, Legalis, & naturalis seu carnalis. De prima utpote digniore in præsentibus, & duabus aliis in subsequentiis agit Titulus.

Queritur I. Quid, & quotuplex sit Cognatio Spiritualls in ordine ad dirimendum Matrimonium? & quo Jure introducta? Resp. I. Cognatio Spiritualls est propinquitas personarum proveniens ex dispensatione Sacramentali Baptismatis, & Confirmationis. Scotus in 4. dist. 42. q. un. n. 2. Estque in re communis, arg. Toto præsentis Titulo. Adducitur autem causa hujus Impedimenti, dispensatio nempe solius Baptismi, & Confirmationis; quia ex datione aliorum Sacramentorum Cognatio Spiritualls nequaquam oritur, quæ Matrimonium impediatur, aut dissolvatur; prout his ipsis verbis dicitur c. fin. h. t. in 6.

Dices, etiam ex Catechismo seu instructione Fidei oritur Cognatio Spiritualls & Impedimentum saltem impediens Matrimonium, textu expresso c. Contracto. 5. h. t. & c. 2. eod. in 6. ergo Cognationis Spiritualls definitio non est bona, utpote non omni

omni definito conveniens. Resp. Cognationem & Impedimentum ex Catechismo sublatum, & Jus antiquum in hoc correptum fuisse a Concilio Tridentino Sess. 24. de Reform. cap. 2. prout contra paucos alios advertunt Pontius lib. 6. cap. 11. n. 3. Sanchez de Matrim. lib. 7. Disp. 10. n. 10. ipsique testibus declaravit S. Congregatio, & Motus proprius Pii V. confirmatque ipsa praxis & universalis Ecclesie consuetudo, optima Legum interpres, c. 8. de Consuet.

4 Resp. II. Cognatio Spiritualls, & consergens in de Impedimentum dirimens non Divino, aut naturali, sed solo jure Ecclesiastico est introductum. Covarruvias de Matrim. p. 2. cap. 6. §. 4. Sanchez lib. 7. Disp. 54. n. 2. eoque teste Omnes. Et quidem, quod Jure naturali non sit introductum, patet; quia Sacramenta, ex quibus Cognatio Spiritualls oritur, non ex natura, sed ex sola institutione Christi originem habent. Quod autem nec ex Jure Divino proveniat, inde constat; tum quia de hoc nec ex SS. Litteris, nec ex traditione Apostolica aliquid habetur: Tam quia si ex Jure Divino esset, Papa in eo nec dispensare, nec illud pro arbitrio immutare valeret, per dicta Lib. I. Tit. II. n. 45. arg. can. Inferior. 4. dist. 21. & c. Cum inferior. de Majori. & Obedient. Quod tamen factum est per Concilium Tridentinum Sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 2. cujus textum vide infra n. 18.

5 Quod verò Jure Ecclesiastico introductum habeatur, patet ex Juribus n. 2. citatis, totoque hoc Titulo, & cau. 30. q. 1. & 3. Ratio autem hujus Ecclesiastice Constitutionis est; quia per dispensationem Sacramentorum Baptismi, & Confirmationis fit Spiritualls quedam generatio; Baptismus enim dat primam vitam Spiritualem, quæ dein per Confirmationem perficitur, & roboratur, ut cum S. Thom. advertit S. Bonavent. in 4. dist. 42. a. 1. q. 1. & notatur can. 1. ac seqq. cau. 30. q. 1. & 3. Hinc, sicut ex generatione naturali oritur Cognatio naturalis Matrimonium dirimens, sic & aliat Ecclesia, ut etiam ex generatione Spirituali Cognatio & parentela oriatur Spiritualls, pariter Matrimonium dirimens, idque ex decencia ac reverentia, quæ Spiritualliter nati debent suis Spirituallibus genitoribus, arg. cit. can. 1. & seqq. cau. 30. q. 1. junctâ l. Si quis alumnus. 26. C. de Nupt.

6 Resp. III. Cognatio Spiritualls antiquo Jure triplex fuit. Paternitas nempe, Compaternitas, & Fraternalitas. Paternitas Spiritualls est propinquitas, seu Cognatio Spiritualls, inter Baptizantem vel Confirmantem, eorumque uxores, & Baptizatum vel Confirmatum, item inter Baptizati, aut Confirmati patrimum ejuisque uxorem, & inter ipsum baptizatum, & confirmatum, arg. can. Ita diligere. 1. cau. 30. q. 1. can. De eo. 5. ead. cau. & q. can. ex eo. 4. cau. 30. q. 1. juncto c. 1. h. t. in 6.

7 Compaternitas Spiritualls est Cognatio inter baptizati & confirmati naturales parentes ex una, & inter baptizantem & confirmantem, atque patrinos, eorumque uxores ex altera parte, atque. Si quis. 3. cau. 30. q. 4. juncto cap. 1. eod. in 6.

8 Fraternalitas Spiritualls est Cognatio inter Baptizatum, vel Confirmatum ex una, & filios naturales baptizantis, vel confirmantis, atque patrinoꝝ ex altera parte, can. 2. & 3. cau. 30. q. 3. & c. 1. 3. & 7. h. t.

9 Jure autem novo Trident. Sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 2. hæc Fraternalitas Spiritualls omnino sublata est; Paternitas autem, ac Compaternitas certo modo restricta fuit, uti statim patebit ex seq. num.

10 Queritur II. Inter quos hodierno Jure veretur Cognatio Spiritualls inducens Impedimentum Reiffentium Jus Can. Tom. IV.

Matrimonii dirimens proveniens ex Baptismo? Resp. I. Ea hodie præcisè veratur inter personas a Concilio Tridentino specificatas, videlicet primò inter baptizantem, ac etiam patrimum feu levantem ex fonte Baptismali ex una, & baptizatum ex altera parte, tanquam inter parentes, & prolem Spiritualem, inter quos proin verans Cognatio vocatur Paternitas Spiritualls per Jura numer. 6. allegata. Secundò veratur inter Baptizantem, ac etiam patrimum ex una, & Baptizati patrem ac matrem tanquam inter compatres, cum, sicut hi sunt parentes naturales, sic illi sunt parentes Spirituales proles baptizate. Hinc etiam Cognatio inter eos verans Compaternitas est, & dicitur per Jura n. 7. citata. Ita hodie certa ac unanimes, patetque nota Conclusio ex Concilio Tridentino cit. Sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 2. ibi: Volens sancta Synodus incommodo providere &c. statuit, ut unus tantum vir, sive mulier juxta sacrorum Canonum statuta, vel adsummum unus, & una baptizatum de Baptismo suscipiant, inter quos & baptizatum ipsum, & illius patrem & matrem, nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizatumque patrem & matrem tantum, Spiritualls Cognatio contrahatur, & infra: Quod, si alii ultra designatos baptizatum tetigerint, Cognationem Spiritualem nullo pacto contrahant: Constitutionibus in contrarium facientibus non obstantibus. Quæ ultima verba correctionem Juris antiqui aperte indicant; quod implicite fit per dictionem tantum, quæ solum expressum includit, & reliqua excludit, arg. l. Quilaliana. §. Libertas ff. de Negot. gest. cum Concordantiis.

Resp. II. Cognatio Spiritualls ex Confirmatione consergens hodie eodem modo, & inter eadem personas, ut in Baptismo oritur, ita ut non nisi inter Confirmantem, ac etiam Patrimum ex una, & inter Confirmatum Confirmatque patrem & matrem ex altera parte veretur, ac tanquam Impedimentum, Matrimonium dirimat. Caret controversiâ ob clarum dispositionem Concilii Tridentini loc. cit. ubi post textum de Cognatione ex Baptismo num. præced. statim subjungit: Ea quoque Cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, Confirmantem & Confirmatum, illiusque patrem & matrem, ac tenentem non egrediatur: omnibus inter alias personas hujus Spiritualls Cognationis impedimentis omnino sublati. Rationem utriusque hujus Conclusionis & Constitutionis suæ restrictivæ Concilium loc. cit. præmittit illis verbis: Docet experientia, propter multitudinem prohibitionum multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi Matrimonium, in quibus vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur. Volens itaque huic incommodo providere &c.

Inferitur, Cognationem Spiritualem hodie non amplius oriri I. Inter virum & uxorem simul levantem infantem ex Baptismo, secus olim can. fin. cau. 40. q. 4. II. Neque inter baptizatum vel ipsum patrem ex una, & baptizantis vel levantis uxorem ex alia parte; sicut aliter olim c. Martinus. 4. h. t. III. Neque inter Baptizantem, & levantem, levantisque uxorem IV. Neque inter baptizatum & confirmatum ex una, & filiam baptizantis, confirmantis, aut levantis, vel tenentis ex altera parte, secus olim c. fin. h. t. Ratio horum omnium est; quia inter has personas non statuitur Cognatio Spiritualls Impedimentum inducens a Concilio Tridentino, quod solum hodie in hoc puncto observandum est.

Queritur III. An etiam ex Baptismo invalidè, aut privatim, vel in necessitate collato oritur Cognatio Spiritualls? Resp. I. Ex Baptismo ob defectum materie, forme, aut intentionis invalidè collato, nulla oritur Cognatio Spiritualls, conser-

quenter nullum Impedimentum. Conveniunt in hoc Doctores. Ratio est; quia, cum ex Baptismo nulliter collato nulla fiat regeneratio spiritualis, nulla quoque confurgit Paternitas, vel Compaternitas, aut Filiatio spiritualis, quia, quod nullum est, nullum producit effectum c. Illud. 8. de Jure patronat. Nec praestat impedimentum, quod de Jure non sortitur effectum, juxta c. 52. de Reg. Jur. in 6. Accedit, quod Accessorium sequatur suum principale, c. Accessorium. 42. de Reg. Jur. in 6. consequenter. Si Baptismus tanquam principale nullus est, nulla quoque erit Cognatio tanquam accessoria.

14 Resp. II. Ex Baptismo privatim, & in necessitate, sive per Clericum, sive per Laicum, sive per virum, sive per feminam collato vera oritur Cognatio spiritualis ac Impedimentum dirimens inter baptizantem ex una, & baptizatum, baptizatique patrem & matrem ex altera parte. Bosco de Impedim. Matrim. sect. 5. Concl. 5. Sanchez lib. 7. Disp. 62. n. 9. Abbas in c. fin. h. t. n. 8. Engel h. t. nu. 7. Pontius lib. 7. cap. 40. nu. 5. & 6. cum communi aliorum. Ratio est: Tum quia Jura indistincte ac univ ersaliter loquuntur de vero Baptismo; ergo indistincte veniunt intelligenda, arg. c. Quia circa. 22. de Privileg. & l. De pretio. ff. de Public. in Rem. old. Tum quia Baptismus privatim, & in necessitate collatus, est verus Baptismus, per quem spiritualiter verè generatur infans; ergo exinde etiam confurgit vera Cognatio, Paternitas nempe, Compaternitas, & Filiatio spiritualis.

15 Limitatur tamen Conclusio in casu, quo parens naturalis in necessitate baptizat propriam infantem; tunc enim baptizans parens non contrahit Cognationem cum conjuge tanquam patre vel matre baptizati: nec privatim jure petendi vel reddendi debitum conjugale, ut communiter docent Doctores textu expresso, c. Ad limina. 7. cau. 30. q. 1. quæ tamen limitatio, quia specialis est, ad alios non parentes, in necessitate baptizantes non extenditur: quin hujus unius exceptio firmat Regulam in aliis casibus non exceptis, arg. l. In iis. ff. de Legib.

Num autem parens naturalis extra casum necessitatis baptizans, vel è Baptismo levans infantem, evadat Cognationem spiritualem, & privationem juris petendi, & exigendi debitum, patebit infra numer. 30.

16 Queritur IV. Specialiter de Patris, quinam nempe, quot, quando, & cum quibus contrahant Cognationem spiritualem inducentem Impedimentum dirimens? Resp. I. Quando Baptismus consuetis Ecclesie caeremoniis, aut solemnitatibus confertur, & tantum unus vel duo, masculus videlicet & femina existunt Patris, non parentes infantis, sed ab his vel à Parocho designati, certum est, quod contrahant Cognationem spiritualem cum baptizato, & parentibus baptizati. Caret controversia, patetque clarè ex textu Concilii supra n. 10. allegato.

17 Dicitur autem notanter, quando Baptismus solemniter confertur; quia si hic prius jam privatim, urgente v. g. necessitate sine Patris est collatus, & postea tantum suppleantur caeremonie Ecclesiasticæ, prout fieri nonnunquam solet, assilens, seu levans patris nullam Cognationem contrahit, ut benè docet Sanchez lib. 7. Disp. 61. n. 5. Sylvester de Matrimonio. 8. q. 7. d. d. 17. & alii. Ratio est, quia causa hujus Cognationis spiritualis est solum Sacramentum, & inde proveniens regeneratio spiritualis, quæ, cum in tali non existat, etiam effectus ejusdem haberi nequit; nam quod non est, nullum producit effectum, arg. Illud. 8. de Jure patron. & l. Si se non tulit. 4. §. 6. ff. de Re. Judic. Nec praestitum impedimentum, quod de Jure non sortitur effectum,

c. 52. de Reg. Jur. in 6. Accedit declaratio Cardinalium, de qua testatur Corrad. in Praxi dispensar. Apostol. lib. 8. cap. 8. n. 6.

Ob eandem rationem Patris non contrahit Cognationem, casu quo Baptismus sub conditione iteratur ex eo, quia debitor, an prius privatim collatus fuerit validus; si postea constet, priorem Baptismum fuisse validè collatum, Sanchez loc. cit. n. 6. ob rationes & Jura num. praeced. allegata: quod, si verò delatium perseverat, praesumit Ecclesia Cognationem.

19 Resp. II. Quamvis in Baptismo unus solus vir vel mulier sufficiat, tamen duo unus nempe, & una permittantur esse patris, qui etiam ambo contrahunt Cognationem spiritualem, si conditiones infra à num. 24. specificatae concurrunt. Caret controversia ob claram dispositionem Concilii Trident. Sess. 24. de Reform. cap. 2. cujus textum vide supra num. 10.

20 Resp. III. Si plures quam duo concurrant Patris infansem baptizandum tenentes, illi soli contrahunt Cognationem spiritualem, qui à parentibus, vel loco horum à Parocho ad munus Patris sunt designati, si autem plures quam duo designati fuerint, omnes contrahunt Cognationem spiritualem; licet parentes ita designando, & Parochus admitendo peccent contra Concilium Tridentinum. Prima pars, quod inter plures tenentes, soli designati contrahant Cognationem, est certa, textu expresso Concilii Tridentini cit. Sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 2. ibi: Parochus antequam ad conferendum Baptismum accedat, diligenter ab iis, ad quos spectabit, sciscitetur, quem, vel quos elegerint, ut baptizatum de sacro Fonte suscipiant; & cum, vel eos tantum ad illum suscipiendum admittat, & in libro eorum nomina describat, doceatque eos, quam Cognationem contraxerint, ne ignorantia ullà excusari valeant. Quid si alii ultra designatos tetigerint baptizatum, Cognationem spiritualem nullatenus contrahant.

Altera pars, quod, si plures quam duo designati sint, omnes Cognationem contrahant, docetur à Navarro in Manual. cap. 22. n. 39. Sanchez lib. 7. Disp. 57. n. 13. & 14. Engel h. t. n. 6. Zoëlius h. t. n. 7. & alii, arg. c. fin. h. t. n. 6. ibi: Si tamen plures accesserint, spirituales Cognatio inde contrahitur Matrimonia contrahenda impediens, & etiam post contracta dissolvens. Nec obstat Concilium Tridentinum loc. cit. plures quam duos fieri patris prohibens, & Cognationem annullans, si plures tetigerint. Nam contra est quod, licet Concilium ibidem plures quam duos fieri patris prohiberit, tamen absolute & indistincte non irritavit eorum factum; & inde consequenter Cognationem, cum tantum nullum dixerit Cognationem plurimum illorem, qui non designati tangant infantem; ergo à sensu contrario, si plures designati tangant, contrahunt Cognationem juxta dispositionem Juris antiqui, c. c. fin. h. t. n. 6. non obstante Tridentini prohibitione de pluribus designandis; quia multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent robore firmitatem, c. Ad Apostolicam. 16. de Regul.

21

22 Resp. IV. Patris non tantum in Baptismo solemniter, sed etiam privatim, & in necessitate collato contrahunt Cognationem spiritualem. Pontius lib. 7. cap. 40. n. 5. Coninck Disp. 32. n. 29. Layman lib. 5. tr. 2. cap. 9. n. 9. & alii contra Sanchez. Probatur Conclusio per Jura & rationes num. 14. allatas.

23 Resp. V. Si quis suo nomine per tertium, Procuratorem nempe, vel Legatum in sacro Baptismo, vel Confirmatione infantem tenet (prout fieri potest, praxis & consuetudo optima Legum interpres ostendit) non substitutus Procurator, sed Principalis,

palis, cujus nomine Procurator infantem levat, cognationem spiritualem contrahit. Pontius lib. 7. cap. 39. n. 10. Barbosa de Offic. & Potest. Episc. Allegat. 30. n. 50. Coninck Disp. 42. n. 40. & alii contra Sanchez lib. 7. Disp. 59. n. 4. Ratio est: Tum quia quod quis facit per alium, perinde est, ac si faciat per se ipsum, c. Qui facit. 72. de Reg. Jur. in 6. Tum quia juxta Concilium Tridentinum loc. cit. soli per parentes designati ad hoc munus contrahunt Cognationem spiritualem; sed soli principales ab his designantur & rogantur, & non Procuratores, ergo. Confirmatur à simili in Matrimonio, ubi non Procurator, sed Principalis, cujus nomine hic contrahit, evadit conjux, & contrahit obligationem conjugis; ergo. Accedunt pro Conclusione plures Decisiones Rotæ, de quibus lo. cit. testatur Barbosa, ac etiam Declarationes Cardinalium apud Pontium loc. cit. inter quas prima ita sonat: Baptizatum de Baptismo suscipiant. Procurator non contrahit Cognationem sibi sed mandanti. Hinc est, quod unus & alter, qui sit procurator mulieris, baptizatum de sacro Fonte suscipere possunt: sed non duo viri, vel due mulieres; unusquisque tamen proprio nomine, vir loco mulieris, vel mulier loco viri. Altera sequentis est tenoris: Qui levat, aut tenet procuratorio nomine nullam contrahit Cognationem spiritualem.

Nec obstat Conclusio, quod in SS. Canonibus semper dicatur, Tenens, suscipiens, levans &c. & non alius contrahit &c. sed hi Termini non verificantur in Principali per Procuratorem tenente; ergo. Resp. Canones intelligendos esse in sensu morali vel physico, per se nempe, vel per alium, arg. cit. c. Qui de Reg. Jur. in 6.

24 Queritur V. Quæ conditiones requirantur ad hoc, ut Patris in Baptismo, vel Confirmatione Cognationem spiritualem contrahant? Et quæ sit obligatio Patris? Resp. Plures requiri conditiones: Patet inductione. Nam I. Requirit, ut Sacramentum sit validum, per dicta n. 13. II. Ut tunc confertur, quando Patris assistit & tenet, per dicta n. 17.

25 III. Requiritur, ut à parentibus, vel aliis, quorum interest, quis designetur ad hoc munus, designatusque habeat intentionem & animum verè obeundi munus Patris, ut proinde illi, qui tempore Baptismi, vel Confirmationis baptizandum vel confirmandum, commoditatis, aut servitii causa, aut ex alia ratione tenent, vel tangunt, Cognationem nullatenus contrahant, Sporer p. 4. cap. 1. sect. 1. n. 93. Sanchez lib. 7. Disp. 58. n. 7. Abbas in c. 2. h. t. n. 4. & alii; aliàs sæpe obstrictes fierent Patris in Baptismo, & ob copiam populi tangentes confirmandum essent Patris, quod est absurdum, consequenter vitandum, arg. l. Nam absurdum. ff. de Bon. Libert.

26 IV. Requiritur, ut, dum actu baptizatur infans, Patris eundem per se, vel per Procuratorem verè physicè teneat, vel tangat, aut saltem immediate à manibus Sacerdotis baptizantis recipiat; ubi habetur consuetudo, quod sub actuali Baptismo solus Sacerdos infansem teneat, ut proin non sufficiat illa assistentia: nec sufficiat, quod mediate à manibus Sacerdotis baptizantis, vel è Fonde levat, dum nempe Sacerdos puerum tradit obstricti v. g. & hæc Patris. Sanchez lib. 7. Disp. 56. Sporer loc. cit. num. 94. Perez Disp. 29. sect. 4. Pishing h. t. n. 37. cum communi aliorum. Ratio est; quia Canones h. t. & cau. 30. q. 1. & 3. volunt, ut Patris baptizandum, vel confirmandum teneat, tangat, levat, suscipiat &c. quæ verba secundum propriam significationem (in qua utique accipienda sunt arg. l. Non aliter. ff. de Legat. 3.) omnino requirunt tactum physicum. Accedit Declara-

tio Cardinalium, quam allegat Sporer loc. cit. & alii.

27 V. Requiritur, ut Patris in Confirmatione sit ipse prius confirmatus, Jacob. Pignatelli Tom. 1. consul. 10. Sanchez lib. 7. Disp. 60. n. 20. cum communi aliorum, pro quibus itat Declaratio Cardinalium in una Licinen. 13. Junii 1654. ubi declaravit, non confirmatum non contrahere Cognationem spiritualem, facit etiam per hoc Pontificale Romanum p. 1. Tit. 1. de Confirmat. ibi: Nullus, qui non est confirmatus, potest esse in Confirmatione Patris. Habetur etiam clarè statutum in Jure, & in Baptismo. 102. dist. 4. de Consecrat. ibi: In Baptismo, vel in Chrismate non potest alium suscipere in filium, qui non est ipse baptizatus, vel confirmatus.

28 VI. Requiritur, ut Patris in Baptismo sit ipse baptizatus, consequenter Infidelis Cognationem spiritualem non contrahat. Sanchez lib. 7. Disp. 60. n. 7. Joan. Andreas in c. 1. h. t. in 6. & ibi Ancharanus n. 1. cum communi Theologorum & Canonistarum, arg. cit. can. In Baptismo. Ratio est; quia Cognatio spiritualis descendit ex lege Ecclesiastica, cui Infidelis non est subiectus.

29 Resp. II. Obligatio Patris est curare, ut filius ipsius spiritualis in doctrina & vita Catholica instruat, & educetur, nisi aliunde à parentibus v. g. id fiat. Patet ex can. Vos ante. 105. de Consecrat. dist. 4. ibi: Vos ante omnia tam mulieres, quam viros, qui filios in Baptismo suscepistis, moneto, ut vos cognoscatis fidei justos apud Deum extitisse pro illis, quos vultis esse de sacro fonte suscipere. Ideoque semper eos admonete, ut castitatem custodiant, justitiam diligant, charitatem teneant &c. Ante omnia Symbolum, & orationem Dominicam, & vos ipsi tenete, & illis, quos suscepistis de S. Fonte, ostendite.

30 Queritur VI. An parens in solemnibus Baptismo levans propriam infantem è sacro fonte contrahat Cognationem spiritualem, consequenter exinde privetur jure petendi & reddendi debitum conjugale? Resp. Negative. Coninck Disp. 34. dub. 8. à n. 66. Ancharanus in c. Si vir. 2. h. t. & ibi Glossa v. Debitum, & alii contra Sanchez lib. 9. Disp. 26. n. 7. & alios. Probatur ex cit. c. Si vir. 2. h. t. ubi Papa Archiepiscopo Salernitano interroganti: an separari debeant, Si vir aut mulier scierit aut ignoraverit filium suum de sacro fonte suscepisse? Respondit: Nobis videtur, quod si ex ignorantia, sive ex malitia id fecerint, non sunt ab invicem separandi: Nec alter alteri debitum debet subtrahere, nisi ad continentiam servandam possint induci; quia si ex ignorantia id factum est, eos ignorantia excusare videtur: si ex malitia, eis sua fraus non debet patrocinari vel dolus. Ex quo textu aperte patet, desiderare quidem Ecclesiam, ut tales conjuges à debito abstinere, non verò præcipere, sed permittere, ut reddere & petere possint debitum, hoc ipso quod dicat, alter alteri non debet subtrahere debitum. Hinc procedit Conclusio, est ex fraude aut malitia assistat.

31 Nec obstant ultima verba si ex malitia, cis fraus non debet patrocinari aut dolus; quia per hæc verba non probatur obligatio abstinendi à debito, sed potius obligatio illud reddendi in casu, quo quis solemniter levat è Baptismo propriam infantem eo fine, ut inde contrahat Cognationem spiritualem, consequenter immunis fiat ab obligatione reddendi debitum conjugali uxori, quam forsitan averatur, prout contingit in casu, de quo can. Dicitum. 4. cau. 30. q. 1.

32 Objicies can. 1. can. Si quis. 2. can. Nosse. 3. cau. 30. q. 1. ubi expressè habetur, tales conjuges contrahere Cognationem spiritualem, & privati jure debiti. Resp. Per hos Canones probari, Jure antiquo ita fuisse constitutum. Cui tamen derogatum est

est Jure novo c. Si vir. 2. h. t. quod præ illo observandum est per ea, quæ de Juris correctione diximus Lib. I. Tit. II. §. XIX. a. n. 490.

TITULUS XII.

De Cognatione Legali.

SUMMARIUM.

- 1 Ratio Continuationis.
- 2 Adoptio quid, & quotuplex? Arrogatio quid?
- 3 Quinam adoptare possint? ubi & de conditionibus Adoptantis.
- 4 Cognatio Legalis quid, & unde?
- 5 Cognatio Legalis est triplex, Paternitas nempe;
- 6 Fraternalitas: Inter quos hæc versetur? usque ad num. 9.
- 7 Et affinitas Legalis.
- 10 Cognatio Legalis etiam ex simplici, seu minus perfecta Adoptione oritur.

1 Altera Cognationis species est Legalis, ideò sic dicta, quia primitus à Legibus inventa, l. Adoptionis, 14. ff. de Ritu nupt. & §. 1. ac 2. Instit. de Nupt. ac postea per Canones recepta est, c. un. h. t. & can. 1. dist. 30. q. 3. Quoniam verò Cognatio hæc ex Adoptione provenit juxta dicenda; priùs breviter de Adoptione videndum est. Hinc

2 Queritur I. Quid, & quotuplex sit Adoptio? de quibus? & quomodò fieri possit? Meritò præmittitur hæc quæstio, ut sequens pro hac Rubrica propriè faciendæ meliùs intelligatur. Resp. I. Adoptio secundum D. Thomam in 4. dist. 42. q. 2. a. 1. & communem aliorum est actus legitimus, per quem is, qui naturà filius non est, in adoptantis filium aut nepotem assumitur. Dividitur in perfectam, quæ etiam Arrogatio dicitur, & minus perfectam, quæ Adoptio simplex, & in specie vocatur, l. 1. ff. de Adoption. Perfecta seu Arrogatio est, quæ persona extranea, sui juris existens, auctoritate seu Rescripto Principis ita assumitur in filium aut nepotem, ut transeat in potestatem & familiam adoptantis, fiatque hæres ipsius necessarius, arg. §. 1. Instit. de Adopt. & l. 2. C. eod. Adoptio imperfecta, seu Adoptio in specie (quæ etiam simplex nominatur) est, quæ persona extranea, quæ nondum sui juris, sed adhuc sub patris, vel avi potestate constituta est, auctoritate inferioris, cuiusque tandem Judicis competentis in filium aut nepotem ita assumitur, ut non transeat in potestatem & familiam adoptantis, sed maneat etiamnum sub patris aut avi sui potestate; & præterea etiam hæres necessarius in Testamento non fit, licet ab intestato succedat cit. §. 1. & 2. Instit. de Adopt. De qua duplici Adoptione vide plura apud Legistas in Lege. Instit. ff. & c. de Adoption.

3 Resp. II. Ad hoc, ut Adoptio legitimè fiat, plures requiruntur conditiones, veluti I. Ut Adoptans sit masculus, nam feminae adoptare non possunt, nisi ex speciali concessione Principis, §. Fœminæ 10. Instit. de Adoption. ubi ratio additur: quia nec naturales liberos in sua potestate habent. II. Ut ex natura sit potens ad generandum, unde spadones adoptare non possunt, §. 9. Instit. eod. bene verò Sacerdotes, utpote qui non à natura, sed per accidens, & moraliter tantum inhabiles sunt ad generandum, Sanchez lib. 7. Disp. 63. Abbas in c. un. h. t. num. 4. & Hostiensis numer. 4. III. Ut 18. annis in ætate præcedat adoptatum §. 6. Instit. eod. IV. Ut sit sui juris & Major 25. annis; quia aliàs

nondum habet administrationem suorum bonorum. Plura de his vide apud Legistas in Instit. ff. & C. de Adoption. & etiam Sylvester §. Adoptio.

4 Queritur II. Quid? & quotuplex sit Cognatio Legalis? unde proveniat, & inter quos Impedimentum Matrimonii dirimens constituit? Resp. I. Cognatio Legalis est propinquitas personarum, quæ ex Adoptione provenit, & inter certas personas Matrimonium dirimit. Ita in re communis per Jura n. 1. allegata. cum Concordantiis.

5 Resp. II. Cognatio legalis triplex est, Paternitas, nempe, Fraternalitas, & affinitas Legalis, Paternitas Legalis est Cognatio inducens Impedimentum in linea recta inter adoptantem tanquam patrem Legalem, & adoptatum tanquam filium, adoptatque descendentes, nepotes, & pronepotes, §. 1. Instit. de Nupt. & l. Quin etiam. 55. ff. de Ritu Nupt. Et inter hos Impedimentum perpetuo durat, ita ut etiam Adoptione per emancipationem soluta, adhuc perseveret, can. Ita diligere. cau. 30. q. 3. & cit. l. Quin etiam ff. de Ritu Nupt. ac §. 1. Instit. de Nuptis, ubi statuitur: ut quamvis per adoptionem parentum, liberorumve loco sibi esse ceperint, non possint inter se Matrimonio jungi: in tantum, ut etiam dissoluta adoptione idem Juris maneat, ita eam, quæ tibi per adoptionem filia, vel neptis esse ceperit, non poteris uxorem ducere; quamvis eam mancipaveris.

6 Fraternalitas Legalis est Cognatio in linea transversa Impedimentum inducens inter liberos naturales legitimos adoptantis, & adoptatum tanquam fratres & sorores Legales. Quod tamen Impedimentum non perpetuo durat, sed expirat expiratione Adoptione, §. Inter eas. 2. Instit. de Nupt. & c. un. h. t. ibi: Si qua mihi soror per Adoptionem esse ceperit, quamdiu durat Adoptio, inter me & ipsam nuptiæ consistere non possunt. Concordat l. Per adoptionem. 17. ff. de Ritu Nuptiar. ibi: Per Adoptionem quasitas Fraternalitas eo usque impedit nuptias, donec manet Adoptio, ideoque eam, quam pater meus adoptavit, & emancipavi, poterò uxorem habere, æque, etsi me emancipat illam in potestate retinuerit, poterimus jungi Matrimonio.

7 Dicitur autem notanter inter liberos legitimos adoptantis; quia inter liberos carnales illegitimos adoptantis & adoptatum non confurgit Cognatio legalis, sicut nec inter filium illegitimam adoptati & adoptantem, vel legitimum ejus liberum, ut cum communi aliorum bene docet Sanchez lib. 7. Disp. 63. n. 30. Sporer p. 4. cap. 1. sect. n. 85. Pirhing h. t. num. 9. Ratio est; quia illegitimi nomine naturalium liberorum non veniunt, neque sub patria potestate sunt, §. Si adversus. 12. Instit. de Nupt. quæ potestate non existens, vel cessante cessat Adoptio, & consequenter etiam Cognatio Legalis, can. Per Adoptionem 6. cau. 30. q. 3.

8 Pariter non confurgit Cognatio Legalis, nec Impedimentum dirimens inter ipsos adoptivos, si plures ab eodem adoptantur, ut bene advertit Glossa communiter recepta in c. un. h. t. Tum quia nullo Jure invenitur tale Impedimentum: Tum quia inter filium & filiam spirituales ejusdem patris spirituales non versatur Impedimentum; ergo multò minus inter duos adoptivos, cum hi minus sint conjuncti, quam illi, arg. can. Diligere. cau. 30. q. 3.

9 Affinitas Legalis est Cognatio inter adoptantem & inter uxorem adoptati, & vicissim inter adoptatum & uxorem adoptantis, inter quos inducit Impedimentum etiam soluta Adoptione, consequenter perpetuo durat. Omnes, textu expresso l. Adoptivus. 14. prin. ff. de Ritu Nupt. ibi: Adoptivus filius, si emancipetur, eam, quæ patris adoptivi uxor est, ducere non potest, quia noverat locum habere.

Resp.

10 Resp. III. Omnino probabile est, quòd Cognatio Legalis, & Impedimentum inde proveniens non tantum ex Adoptione perfecta, seu Arrogatione, sed etiam imperfecta seu Adoptione simplici, sive in specie confurgat. Glossa in c. un. h. t. & ibi Abbas n. 5. Ancharanus n. 8. Covarruvias p. 2. de Matrim. cap. 6. §. 5. n. 2. Gutierrez de Matrim. cap. 102. n. 5. Barbosa de Offic. & potest. Episc. Allegat. 51. n. 189. cum communi aliorum; quibus favet Scorus in 4. dist. 42. q. un. n. 3. hoc ipso, quòd ibi Glossæ opinione alleget, & non refutat, consequenter tacitè approbet. Ratio est; quia Jura indistinctè loquuntur; consequenter indistinctè veniunt intelligenda, c. Quia circa. 22. de Privileg. præsertim quòd Adoptio in specie, seu simplex, licet tam perfecta non sit, quam Arrogatio, verè tamen ac in sensu proprio fit, & dicitur Adoptio, textu expresso §. 1. prin. Instit. de Adoption. ubi Adoptio propriè dicta dividitur in Arrogationem, & Adoptionem simplicem.

TITULUS XIII.

De Eo, qui cognovit Consanguineam Uxoris suæ, vel Sponsæ.

1 Ratio Ordinis, & Remissionis hujus Tituli.

1 V I S Cognatione spirituali, & Legali, atque Impedimentis inde provenientibus, recto ordine pergitur ad Cognationem naturalem, seu carnalem, quæ vulgari sermone tam Affinitatem, quam Consanguinitatem comprehendit; siquidem etiam Affines soleamus vocare Cognatos, quamvis propriè Cognati non sint, ut bene advertit Alexander Papa can. Quòd autem. 5. cau. 35. q. 5. ibi: Quòd autem frater sororve uxoris tuæ, cognati tui dicuntur, æquivocationis Jure fit, & necessitate vulgaris appellationis potius, quam ullà causâ cognationis. Et quoniam Affinitas alia oritur ex copula licita, alia ex copula illicita, Compiler Canonum priùs posuit præsentem Titulum, in quo agitur de Affinitate ex copula illicita. Verùm quia etiam sequens Titulus est de Consanguinitate, & Affinitate, ubi Affinitas dividitur, & membra divisa explicantur, commodiùs, & majoris claritatis gratiâ etiam de Affinitate ex copula licita, consequenter de tota materia hujus Tituli in sequenti Titulo agemus. Et quidem de Affinitate ex copula cognoscens consanguineam uxoris, §. 2. d. n. 32. de Affinitate verò ex copula cognoscens consanguineam Sponsæ eod. §. 2. d. n. 62.

TITULUS XIV.

De Consanguinitate, & Affinitate.

1 Ratio Ordinis & Divisionis.

1 D Uas, ut patet, partes habet præfens Titulus, Prima est de Consanguinitate, & inde confurgente Impedimento Altera de Affinitate & Impedimento inde proveniente. Hinc in duos Paragraphos præsentem Titulum dividemus, & ordinem Rubricæ sequentes, in primo de Consanguinitate, in secundo verò de Affinitate agemus.

§. I.

De Consanguinitate & Impedimento inde confurgente.

SUMMARIUM.

- 2 Consanguinitas quid, & unde?
- 3 Ut collaterales consanguinei sint, debent ab uno tertio debite propinquo descendere: secus est in linea recta.
- 4 Consanguinitas, seu Cognatio naturalis alia est naturalis tantum, alia naturalis & civilis simul.
- 5 Agnati & Cognati; Agnati & Cognati quid?
- 6 Tam Agnatio, quam Cognatio causat Impedimentum.
- 7 Linea Consanguinitatis quid? Et quid Stipes?
- 8 Linea Recta descendens & ascendens quid?
- 9 Linea Transversalis quid? alia est equalis, alia inæqualis.
- 10 Gradus quid?
- 11 Computatio Graduum aliter fit de Jure Civili, aliter de Jure Canonico. Arbor Consanguinitatis. Ibid.
- 12 Annotatio ad Arborem pro diversitate numeri in ea positi.
- 13 Regula computandi & cognoscendi Gradus Consanguinitatis in linea recta.
- 14 Regula pro linea transversali equali.
- 15 Regula pro linea transversali inæquali.
- 16 Practica declaratio Arboris, & Cognatio distantis personarum inter se usque ad n. 24.
- 17 Ulterior declaratio præsertim pro linea Recta.
- 18 Pro linea Transversali equali,
- 19 Et inæquali.
- 20 Annotatio de Nominibus personarum in Arbore positarum.
- 21 Quorundam error.
- 22 In comparatione Graduum attendi debet ad communem stirpem proximam.
- 23 Practica computatio Graduum, Arbore ad manum non existente.
- 24 Consanguinitas Jure antiquo usque ad septimum gradum dirimebat, & Affinitate, & hodierno autem novo Jure tantum ad quartum dirimit.
- 25 Impedimentum Consanguinitatis in linea recta Jure Ecclesiastico in infinitum dirimit.
- 26 Quòd primum gradum ejusdem lineæ etiam Jure natura.
- 27 Imò etiam quoad reliquos gradus lineæ recte Jure naturali dirimit.
- 28 Inter consanguineos primi gradus lineæ transversæ, fratres nempe & sorores Matrimonium Jure natura dirimit.
- 29 Ratio hujus allegatur.
- 30 Solvuntur instantiæ.
- 31 Inter consanguineos secundi & ulterioris gradus lineæ transversæ, Jure solo Ecclesiastico dirimitur Matrimonium.

Dicitur